

De hac altaris parvaporatione  
filij tui corpus et sanguis  
animus quib[us] dicitur celesti  
spiritum mundum dicimus dicens  
¶ **M**undum enim omnes famulorum  
obligare coram nos pietatis  
pro fiduci et traxit in somno pars  
missis dñe et omnibus in christo quescom  
cum vestigia nos ac pars regni dñi  
eternitatem et omni gloriam  
obligare deum deum famulis  
et omni gloriam et omni honorum  
et dignitatem et confortem donare dñe  
et omni gloriam et honorum et dignitatis  
et confortem donare dñe. o athia. benigne.

60. f. Bd.

D<sub>9</sub>

+

ORAT<sup>IO</sup>  
SOLENNIBUS  
D. CATHARINÆ  
COLLEGII PHI-  
LOSOPHICI VVITE  
BERGENSIS

*Habita*

A B

*ADAMO THEODORO ADAMI*  
*F. SIEBRO*

Professore eloquentiae

&

Pro tempore Decano,

*Ad ante diem v. i. Cal. Decembris.*

ANNO M. D. IC.

WITTEBERGÆ,

*Apud Paulum Helwigium,*

*Typis Mullerianis.*



ADAMVS TH. SIBER  
RUS GEORGIO MILTICIO, ALE-  
XANDRI F. IN SCHENCKENBERG  
& Oberaw, Equiti Misnico,

S.

 *V*am orationem habere in publico proxime volui, eam quod minus in apertum nunc referrem, caussa ducere nihil debui, quae enim t et animis accepta esse merita foret, quot auribus fuisse exceptam scio: ea cur oculis relegere cupientium denegaretur, nulla ratio visa fuit. in quorum numero non exiguo tu, MILTICI GEORGI, tuo quodam jure primas tibi vendicas: qui quam ejus regustanda avidus es, non obscure praetuleris. tametsi hoc munuscum ceteroqui debebatur tibi, qui in Partitionibus Ciceronis tam assiduam ac diligentem nobis operam, cum paucis tuis similibus, dedisses. quem vere aurolum ac gemmis contrà carum libellum recte facis quod commendatum tibi habes, & ad ejus intelligentiam commentariolum nostrum adhibes. ita enim ex animi sententia censeo atque statmo, neq; extare apud Latinos, aut Graecos ipsos librum illum, qui hunc nostrum non dico superare, sed aquare saltem possit: & nos ad eum explanandum quicquid habuimus ingenij, quicquid judicij, pari fide atq; industria contulisse. ea autem aut summa, aut summis proxima fuisse, nisi res ipsa demonstrat, non recuso, quin omnium, qui vivunt, hominum futilissimus habear. sed de hoc alias. Tu vero, adolescens egregie, perge, quod facis, in instituto hoc ac directo ad laudem & verum decus cursu. sic enim fac existimes, esse antiquæ familie tuo splendorem illum quidem per se clarissimum, sed haud paulo tamen fore illustriorem, si à te, multorum exemplo gentilium tuorum, cum præclaris optimarum artium studijs conjungatur, & ipsas artes, si ab eloquentia se jungantur, mancum quiddam & imperfectum existere. verum bujusmodi neq; cohortationi, neq; commonitioni ullius jam indoles, & voluntatis atq; industria tua locum reliquit: quanta mihi videntur, ut virtutem secatus, fortuna comitatus magno olim & ordini tuo ornamento, & patriæ futurus sis adjumento. Vale, è Museo, Pridie Nasallum, Mi D C.



Vum multa prudenter,  
Auditores, in collegio olim philosophico inventa atque instituta  
sunt: tum illud ratione atq; ordi-  
ne fieri judicatum est, ut Divæ  
Catharinæ, quæ facultatis nostræ  
patrona esset, natalia quotannis  
celebrarentur, merita prædica-  
rentur, ac nūnen ipsum tutelare  
studiosis placaretur. Cujus rei  
anniversaria celebrites quum in diem hesternū inciderit: offi-  
cij, quod hoc tempore gerimus, nostri esse duximus, solēnitati  
alti, quam Elector Fridericus tertius Princeps sapientissimus  
fancivisset, & multorum annorum consuetudo usurpasset,  
quantum in nobis foret, & salva pietate ac veritate fieri pos-  
set, in præsentia satisfacere. quod dum facio: quæsō à vobis  
amanter & officiosè, ut qua frequentia convenistis, eadem  
meā orationem benevolentia atque attentione audiatis, ne-  
que grave ducatis exigui temporis usuram ei dare, qui nullam  
vobis molestiam creaturus est. Quod si non nemo versus po-  
tius à me, quām hoc prorsæ ac pedestris dictionis genus expe-  
ctabat: eum ego oro, ut tantisper expectationis patientiam à  
se impetrare velit, dum hoc ipso nomine responderi sibi co-  
gnoscatur. Igitur Catharinam ajunt Costi cuiusdam Alexan-  
drini filiam non minùs disciplinis humanae philosophiæ erudi-  
tam, quām sapientiæ cœlestis cognitione instructam, Impera-  
tori Maximino, qui Christianos ad sacrificia idolorum coge-  
ret, corām in eos restitisse: mox in carcerem conjectam, septem  
dierum inedia afflictam fuisse: inde productam, cum quinqua-  
ginta viris doctrina ac facundia præstantissimis commissam,  
convictos eos & confutatos non modò ad infantiam redegisse,  
sed etiam ad eandem Christianę fidei professionem adduxisse:  
itaque illos ad unum omnes statim interemptos: ipsam au-  
tem propositis à tyranno amplissimis opibus & honoribus, ac  
præcipue sede à Faustina conjugé in palatio secunda, ad cul-  
tum idolorum solicitatam, à fidei constantia latum ungues

non discessisse, ipsamque Faustinam ad religionem veram traxisse. tandem sententiæ suæ obstinatissimè tenacem, ad rotæ supplicium damnatam, quumque rota fulmine pessundata esset, gladio decollatam esse: è trunco lac profluxisse, ipsumque truncum in montem Sinam ab angelis delatum ac sepultum esse. Hæc est illa commemorabilis, Auditores, & nescio an miseratione potius, quam miratione digna historia, an non enim admirabile, ne dicam stupendum est, unum hominem, sexu mulierem, ætate puellam, institutione tironem, cum quinquaginta viris ipsis delectis, à natura, à scientiarum omni genere, ab usu & exercitatione multiplici ac diuturna instructissimis compositam, illis tot ac tantis magistris, non modo contradicendi facultatem omnem eripuisse, sed veritatis etiam assensum & confessionem extorsisse: eandemque nullis blandicijs deleniri, nullis minis terreri, ac ne mortis quidem supplicio ad fidem prodendam compelli potuisse? quid porrò miserabilius, quam tantam eruditionem, tantam pietatem, fidem & constantiam, quantam ne in viros quidem cecidisse legimus, in illo ætatis flore, tam indignis modis, tam crudeliter vexatam atque extinctam esse? magna hæc profectò, Auditores, & magnopere exaggeranda videri queant ei, qui vel mediocriter dilertus, non tam eloquentiæ, quam dolori vela dare, & in laudes ac merita Catharinæ veritatis potius ventis provehì, quam ingenij viribus velit excurrere. sed enim, ut, quod res est, dicam aperte & ingenuè, mihi hæc narratio miranda pariter ac miseranda videtur, tum quod homines reperti sunt, qui hæc talia comminisci auderent; tum quod repererint, qui ista tam absurdâ crederent. quid ergo est, inquiet aliquis, tu ille pius ac devotus cliens, isto modo Patronæ tuæ causam agis, dignitatem defendis, præconium peragis! Ego vero, Auditores, ita mihi persuasi, ita planè sentio ac statuo, tantam esse Spiritus Sancti vim, tantam divini verbi ac cœlestis veritatis autoritatem & potentiam, ut virgo Christiana, non modo adulta, sed biennis etiam ac planè infans & lactens, subsidijs istis instructa, non tantum contra quinquaginta Philosophos atque Oratores nescio quos, sed contra omnes,

omnes, qui unquam sunt, fuerunt, aut futuri sunt, sophistas & hæreticos, adeoq; contra errorum ac mendaciorum omnium parentem atque autorem Dæmonem congregari & confistere nullo negotio possit. Veriuntamen ut hæc tam incredibilia in Catharina contigerint, & illa res tantas, tamque inusitatissimas designaverit: per me qui volet, credat licet, ego cur credam, causam nullam video, atque esto: fuerit illa quantumvis diserta & eloquens, fuerit, si quis alius hominum, in disputando longè acutissima atque acerrima: quid, an etiam jngulata è collo lac potius, quam sanguinem fundere, & angelis humanum cadaver mandare potuit? Itaque accedit bonis illis sacrarum narrationum architectis, quod accidere mendacibus dixit Aristoteles. Is enim interrogatus, quid lucri facerent ijs, qui vanitatem in oratione atque falsitatem adhiberent, ut quum vera, inquit, interdum dixerint, ipsis non credatur. Potest hoc pari ratione de ipsis usurpari: qui quum vera non pauca de Divis suis dixisse aliquando videri posint, uno saepe quoipam additamento rem universam in dubium ac disceptationem revocant. quamquam largiamur hoc quoq; ipsorum acuminis, & ista omnia non ficta, sed facta, neque excogitata, sed gesta esse concedamus: num propterea illa optimorum artium ac Philosophiae studiosis patrona capi ab ipsis & constitui debuit? non magis utique quam tabernaculorum opifices Paulum aut Aquilam adoptare sibi patronos debent, quod uterque illo artificio claruerit, aut pescatores Petrum, Iacobum, vel Iohannem, quod illi semel pescatum interdiutiam copiosum fecerint, parum ut abesset, quin duæ naves one re depressæ submergerentur. quamobrem recte Epiphanius ac verè: *Sit in honore, inquit, Maria: Pater autem & Filius & Spiritus Sanctus adoretur.* Mariam nemo adoret: Deo hic cultus, non viro, multoque minus mulieri destinatus est: ne angeli quidem talem venerationis gloriam capiunt. Itidem & nos dicamus: sit in honore Catharina: sit ejus eruditiois gravitas, religionis puritas, constantiae firmitas exemplum propositum ad imitandum viris ac mulieribus: Pater autem, & Filius, & Spiritus Sanctus Deus unus & trinus adoretur.

A. 3

Cui

Cui quidem Deo æterno ac sapienti gratias nos par est, quantas animo in his angustijs ingenij concipere, quantas verbis exprimere in ista penè elingui balbutie possumus, maximas, ac singulares habere atque agere cum alias semper, tum hujuscemodi præcipue in congressibus, quod immensa atq; inexplicabilis misericordia motus, notitiam verbi sui è tenebris plus quam Ägyptiacis idolomaniæ pontificiæ, suprema hac mundi tempestate, hac ipsa in Academia atq; Ecclesia nostra in lucem vindicare voluerit: cuius fulgore clarissimo, errorum, mendaciorum, præstigiarum ac fraudum nebulæ universæ disjectæ, tenebræ discussæ, imposturæ profligatæ, latebræ apertæ sunt: ejusq; majestati ac numini cultus & veneratio debita restituta, nobis autem ad veritatis ac salutis sempiternae fruitionem via optatissima atq; expeditissima munita est: Ipsius sit laus, honor, decus ac celebratio & gloria seculis nunquam terminandis, atq; haec placuit nobis delibare breviter & perstringere de Catharina: nam universam ejus, ut barbari loquuntur, Legendam inculcare hic aut refellere, nullam non dico utilitatem, sed ne voluptatem quidem haberet ejusmodi, quam non liceat è Phrygis illius fabulatoris apologis uberiorum ac sinceriorem capere. Videntur autem mihi divicione isti Romuli nepotes cum veteribus Romanis certamen superstitionis instituere voluisse: ne quum in ceteris rebus tam multis dissimiles illis essent, in hac quoq; parte degenerasse ab ijs videri possent. itaq; ut illi Minervam suam habuerunt: ita ipsi suam quoq; Minervam, quæ Catharinæ sanctissimo nomine vocaretur, habuere voluerunt. de qua quidem artium omnigenarum, ut volunt, parente ac præside Minerva dum breviter expono ea, quæ & ad veritatē non penitus absurdè, & ad hujus loci rationem, atq; ad studiosę juventutis utilitatem non omnino ineptè & incommodè exponi possunt: quæso, quod facitis, institutum orationis cursum amica hac arrestæ auscultationis vestre aura prosequamini. Principiò tametsi gentilium superstitione plurimos utriusq; sexus Deos cōfinxerit, ita ut eorum ad triginta millia proditi sint, atq; inter eos trecenti Ioves: tamen unum esse Numen summum & eternum, quod universitatem hanc condiderit, moderetur, & conservet,

quem

quem Deum nuncuparunt, quanquam in ejus naturę ac voluntatis ignoratione profundissima versarentur, apud eos ipsos gentiles plerosq; praelertim autem sapientiae studijs eruditos, dubitatum nunquam fuit. non perle quar argumenta, quibus doctissimi homines id demonstratum iverunt, neq; enim hoc nunc agitur, neq; id aut institutum nostrum, aut tempus patitur: contenti erimus unius atque alterius maxime insigni ipsorum testimonio. Pythagoras, ille Aegyptiorū sacerdotum ac Magorum Persicorum discipulus, Deum dixit animum esse per naturam rerum omnem intentum & commeamtem, ex cuius mente animi nostri carpantur ac delibentur. Plato autem cum Pythagoricorum, & Architae in primis Tarentini, tum sapientissimi illius Socratis sectator atq; auditor, vir non solum nostra, sed omni omnium laude ac prædicatione major, hujus mundi opificem ac parentem negat animo intelligi, ac verbis exprimi posse. Homerus & Virgilii, par illud fastigij poëtici, Iovem suum patrem hominumq; Deumq; subinde inculcant, & tanquam solemi hac appellatione insigniunt: quem quidem Homericum Iovem Aristoteles & laudat in primis, & chius universitatis regem interpretatur: Aristoteles inquam, qui, contra quam vulgo vel incitè vel malignè existimat, Deum mundi, tum animorum nostrorum effectorem ac genitorem non uno in loco statuit. His igitur non multis testimonijis, quid quæso hinc ludentius, quid gravius, sanctius, ac penè dicam divinius fieri potest? Ecce Samius Philosophus, ille alter penè Pythius Apollo, Deum mentem atq; animum affirmat, qui, secundum Virgilij hac ipsa de re versiculos, eat per omnes Terrasq;, tractusq; maris, cœlumq; profundum: obsecro, an non eadem propè, si fas est dicere, cum verissimis nostris oraculis loqui putandus est, quæ ajunt, Deum esse Spiritum, ex quo, in quo, & per quem sunt omnia? idem quum animos nostros ex mente divina haustos atq; tractos esse perhibet, quantum abest, quin Origines legislatoris Hebræorum legisse dici debeat, in quibus scriptum scimus. Deum in hominis nares spiritum vitalem inspiravisse? illam nimirum, ut Horatius loquitur, divina particulam auræ, quippe qui, ut est apud alium poëtam, sensum à cœlesti demissum traximus arce.

Age,

Age, quod Philosophorum Homerius à Mercurio termaximo  
acceptum pronunciat, quid Deus sit, neque menti humanæ  
ad contemplandum, neque linguae ad enunciandum exposi-  
tum esse: an non magistrum habuisse Baptistam videri queat,  
qui Deum, inquit, nemo vidit unquam, unigenita filius, qui est in  
singu Patris, ipse enarravit nobis. Iam quum Poëtæ, quos dixi,  
divumquè hominumquè parentem appellant Iovem suum,  
nunquid aliud vaticinati obscurè sunt, quām id quod symbo-  
lum Nicenum clarissimè profitetur, Deum pronuncians fa-  
ctorem visibilium & invisibilium? quo posteriore nomine  
mentes intelligimus ab omni concretione mortali solutas &  
segregatas, quos & angelos & Deos appellari è sacris didici-  
mus literis. sed quid ista anxiè nimis, & fortasse cum non ne-  
minis vel irrisu, vel etiam offensione didicimus? quū triginta, ut  
dixi, millia Deorum colerent, & in his Iovem optimum ma-  
ximum summo atque eximio loco ponerent: tamen neque  
hunc, neque illorum quenquam veri numinis vim obtinere in  
animum unquam induixerunt, qui quidem animi bene à ratio-  
ne constituti aliquam saltem partem reliquam haberent,  
quocirca Atheniensēs non solum Philosophiæ, sed etiam ido-  
lolatriæ studijs incredibilem quandam in modum dediti, ita ut  
universæ tam superstitionis magistri, quām sapientiæ paren-  
tes perhiberi jure possint, tamen in illa turba Deorum suo-  
rum, & illos omnes non numina, sed nomina haud obscurè in-  
nuerunt, & aliud quid augustius, quod divinæ majestatis au-  
toritatem ipsum per se sustineret, inquirendū statuerunt. quod  
quomodo invenirent quum ingenij aciem fugere animadver-  
terent, ejus rei ac voluntatis suæ testem, Ignoto Deo aram  
consecrare voluerunt. Et profectò ita se res habet: quum  
prisci illi mortales unius veri Dei religionem, quam tantum  
non per manus à majoribus traditam conservare debuerant,  
amisissent, quòd notionem aliquam Numinis divini, unde  
tanquam ab inexhausto ac saluberrimo fonte bona omnia pro-  
manarent, animis eorum natura ipsa reliquam fecisset, propte-  
rea varijs ac penè infinitis rebus, quas vel natura procrearet,  
vel hominum solertia invenisset, Deorum appellationem  
tribuerunt.

tribuerunt. quām rectē ac sapienter nunc non dispoto : neq;  
eius idololatriæ nomenclaturam & tanquam historiam insti-  
tuo: quod utrumque à Tertulliano, Arnobio, Lactantio, Augu-  
stino, & alijs, ne Theologos grēcos commemorem, & luculen-  
tissimè descriptum, & gravissimè sanctissimeq; confutatum  
esse scimus: neque verò de Ægyptiis nunc loquor, & gentibus  
alijs superstitionum vel immanitate efferatis, vel futilitate ri-  
diculis : qui non modò non rationem cum humano genere, sed  
ne sensum quidem ullum cum brutis animalibus commu-  
nem habuisse videntur : de grēcis loquor & Latinis, quos fa-  
tis constat virtute & sapientia populis longè omnibus,  
quum à Iudæis discesseris, præstitisse. Illi igitur quum a-  
nimadvertisserent hominem duabus partibus constare animo  
& corpore, quarum tum expolitione, tum conservatione u-  
unusquisque non solum suis sibi esse, sed & alijs præesse, ac su-  
peresse quoque posset : quinque vitam hanc in occupationes  
ac remissiones dividi, adeoque in belli sæpe discrimina dedu-  
ci, ac pacis vicissim commoditatibus restitui viderent : quo  
pacto utriusque partis ac temporis rationibus consulerent,  
circumspiciebant. Quinque animum disciplinis excoli, ac  
virtute quodammodo perfici, corpus autem varijs adminicu-  
lis ad vitam victimique colendum, atque ad injurias & cœli  
& belluarum, atque hostium propulsandas egere intelle-  
xisse : quod utrumque genus ad bene beateque vivendum  
necessarium erat, sed neutrum humanis opibus viribusq; pa-  
rari posse videretur : propterea & hoc & illud munus ac be-  
neficium esse divinum pro eo, quo poterant, judicio testati-  
sunt. itaque quod veri Dei numen ignorarent, & tamen ista  
non casu contingere, sed cœlitus communicari aliqua ex parte  
sentirent : ut in rebus plerisque omnibus, sic in hac quoque  
parte falsæ Deæ nomen confinxerunt : cuius scilicet nutu a-  
nimus suo regimine, corpus ministerio melius fungeretur.  
Illud autem nomen Minerva fuit : quæ nata ē cerebro Iovis,  
non modò ingenij parens, memoriae nutrix, doctrinarum ma-  
gistra, prudentiæ antistes, justitiæ arbitra esset : sed etiam

B

quæ



que oleæ cultum invenisset, lanificij texturam atq; coloratum monstravisset, equorum quadrigas junxisset, ædæm ex-  
structiones, belliq; artes docuisse, omnisq; generis opificum  
arma, atq; in primis instrumenta mœsica protulisset, que deniq;  
urbibus ipsis atq; curijs numine tutelari præsideret. quam ob  
caussam, & propter rerum diversarum ac multiplicium vim  
& effectus modò capitalis & ingeniosa ; modò Musica, ac me-  
dica ; modò civilis & forensis ; modò militaris, equestris, auxi-  
liaris, & viætrix ; modò denique mechanica fuit seu operaria  
appellata. In primis autem Tritoniæ cognomento celebrata  
tam accepimus : quod nomen à ternario numero ductum id  
circo ei impositum fuisse Democritus Philotophus prodidit,  
quod tria maximè necessaria atque salutaria mortales docu-  
isset, bene consulere, recte judicare, ac justè facere : qua qui-  
dem disciplina humana omnis virtus ac sapientia contineri  
maximè videtur, quamquam haud nescius sum alios hujus rei  
caussam ad tres philosophiæ partes retulisse, ad naturæ ob-  
scuritatem, ad differendi subtilitatem, & ad vitam atque  
mores, de quo sanè arbitretur ac sentiat quisque, ut vo-  
let : est enim utraque opinio satis scita, satis elegans : illud  
autem minimè dubitanter statuatur, hoc Minervæ commen-  
to nihil illos aliud significare voluisse, quam & ingenij acu-  
men, & memoriae vim, & doctrinarum scientiam, & artium  
peritiam, & prudentię ac fortitudinis domesticæ bellicæque  
præstantiam, & justitiae æquitatem, & virtutum denique cul-  
tum, hoc est, ut uno verbo dicam, Philosophiam humano ge-  
neri datam & concessam esse diuinitus. Illa enim, illa est Phi-  
losophia rerum divinarū atq; humanaū pulcherrima scientia,  
illa est artium omniū, quibus hæc vita carere nequit, vel in-  
ventrix acutissima, vel moderatrix prudentissima ; illa ratio-  
nem hominis perpolit ac perficit, ita ut quantum universis be-  
stijs, tantum unusquisq; ceteris hominibus queat antecellere:  
illa amabilissimam virtutum speciem monstrat, vitiorum defor-  
mitatem foedissimam ostendit : illa pacis quietem conservat,  
commodat uetus, ornamenta amplificat : illa denique bellii  
offensiones

offensiones ac pericula, quantum in ipsa est, vitat, depellit, amolitur. hæc est nimis verum illud, atq; è cœlo delapsum Palladium : quod quamdiu intra urbium mœnia, ac fines regni custoditur ac retinetur, omnia salva sunt & incolumia : simul atquè supiniùs asservatur, aut etiam planè negligitur, jam non unus Diomedes atq; Ulysses astutia atque audacia sua eò cives redegerint, ut servari ne salute quidem volente ullo modo possint. nam si quis existimat, optimarum artium & literarum scientiam pacatis tantùm & tranquillis temporibus usum atque fructum habere, turbatis autem & inquietis non habere : is opinione sua sanè quām fallitur, nam si ita esset : nunquam sapientissimi illi, quos dixi, viri eandem Minervam eque bello & victorijs, atque paci & judicijs præfecissent, neq; tam galea equisq; armavissent, quām olea atque æquitate instruxissent. cui demonstrando quæ tandem argumenta potiora afferri queant, quam res ipsa, autor omnium locupletissimus ? Græciam illam videmus, in qua & inventæ, & excultæ, atque in universas orbis terrarum partes, tanquam in colonias quasdam, propagatae sunt omnes bonæ artes ac disciplinæ. hanc tamen jure dubites, utrum plures habuerit in omni literarum genere Socrates, Platones, Aristoteles, Theophrastos, Xenophontes; an verò bellica laude insignes Themistocles, Pausanias, Lysandros, Thrasibulos, Conones, Timotheos, Epaminondas, Eumenes. itaque quantumvis illa terra angustis finibus includeretur, tamen cum aliorum hostium, tum Persarum in primis innumerabiles exercitus non modò facile sustinuit, verū etiam fortissimè profligavit : ipsa verò nunquam vinci nisi à se ipsa potuit. intestinis enim & partium contentionibus distracta, & bellorum cladibus afflicta, non tam Philippi Macedonum regis virtute, quām proprijs eversa viribus corruit. Qui quidem rex Philippus quum videret quantum momenti ad virtutem esset in literis : Aristotelem Alexandro filio doctorem accivit, à quo eodem ille & agendi acciperet præcepta, & loquendi : missa hoc nomine ad Philosophum epistola, quam operæ precium est non apud Aulum Cellum

solum græcè legi, sed hic etiam latinè recitari, neque eam tantum regibus & principibus, sed omnibus, quibus salus reipub. curæ est, commendari, & explicari. sic autem scribit magni illius filij magnus parens: scito mihi natum esse filium. quapropter magnas Dijs gratias habeo, non tam quia ille natus est, quam quod ètate tua natus est, spero enim ipsum educatum abs te & eruditum, dignum extiturum, qui nominis & imperij nostri successor sit. Neq; verò spes illum sua fefellit, nam Alexander ductu & auspicijs preclarissimorum philosophijs preceptorum, quae ab Aristotele acceperat, ad eam animi atque ingenij præstantiam facile pvenit, qua postea res illas & ætatem sua, & omniū opinione maiores atque aplores, æquata Herculis, Liberiique gloria, & suscepit & perpetravit. nam quid ego de Romanis dicam, qui perpetuis bellis gerendis tantum scientiæ ac fortitudinis ostenderunt, ut literas nunquam attigisse, tantum in omni literaturū genere eruditionis consecuti fuerūt, ut arma nunquam cepisse videantur? è quorum amplissima ac penè infinita copia quem tandem primum, aut secundum, aut tertium nominare poterimus, ut non sexcenti supersint, qui eum ipsum ordinē ac locū solicitare & vindicare sibi pari jure possint? itaque unū saltem L. Lucullum laudabo, qui esse instar omnium possit: neque tamen ut ejus omnia facinora ac decora bellica enumerem, sed ut de uno facto, tanquam leo ex ungue, aestimari possit. Lucullus igitur quemadmodum literis plurimis ac reconditis philosophorum, poëtarum, & oratorum græcè ac latinè eruditissimos quosque suæ ætatis provocavit: ita belli gerendi ratione secundus haberet nemini debet. Is ad Mithridaticum bellum missus à Senatu, non modo opinionem vicit omnium, quae de virtute ejus erat, sed etiam gloriam superiorum. nam quum totum iter illud, & navigationem consumpsisset partim percontando peritos, partim res gestas legendo, in Asiam factus imperator venit, quum esset Roma profectus rei militaris rudis, itaque tantus imperator fuit in omni genere belli, præliis, oppugnationibus, navalibus pugnis, totiusque belli instrumentis & apparatu, ut ille rex post Alexandrum maximus.

hunc



hunc à se majorem ducem cognitum, quām quenquam eorum,  
quos legisset, fateretur. hic quum peditum non amplius duo-  
decim, equitum autem non integra tria millia duceret adver-  
sus Tigranem Armeniorum regem, qui viginti sagittariorum  
ac funditorum millia, equitum quinquaginta millia, & in his  
septendecim mille cataphractos, gravis autem armaturae mi-  
litum centum quinquaginta millia, eorum præterea, qui vias  
expedirent, pontes facerent, flumina purgarent, materiam ce-  
derent, quique à tergo pugnantium constituti, terrorem ho-  
stibus, fiduciam suis præberent, triginta quinque millia, hoc  
est ducenta quinquaginta quinque millia, militum in exercitu  
habebat, quūq; à filiis Lucullus admonitus esset, ne signa cum  
hoste conferret pridie nonas Octobris, quod is dies infaustus  
ac funestus esset clade Romanorum, quām à Cimbris duce  
Cæpione accepissent: Pugnemus ergo hodie strenuè, in-  
quit, ut hunc quoque diem ex infesto atque atro candidum au-  
spicatumque faciamus. nec dictum res, aut virtutem fortuna  
morata est, nam supra centum millia peditum eo conflictu  
deleta, equitum per quam pauci fuga elapsi sunt: è Romanis  
centum tantum vulnerati, quinq; desiderati sunt. Cujusmodi  
pugnam & victoriam nostris temporibus incredibilem videri  
necessa est: Antiochus autem Philosophus nullam similem à  
sole orto conspectam unquam fuisse affirmare non dubitavit,  
quum victores vicit, collati vix decimam septimam partem  
explevissent, sed nimirum aliud est turba hominum, aliud for-  
titudo militum: aliud artis calliditas, disciplina ac descri-  
ptio, aliud Martis temeritas & confusio: deniq; vis, atq; acri-  
tas aliud est ab ignavia, inertia, imbellia. Et eat nunc Thrax  
aliquis, & contendat, literarum scientiam umbras tantum se-  
ctari, tantumq; sedere in otio, nunquam prodire in pulverem,  
non solem obtueri, non castra ferre, non aciem subsistere posse:  
quum ille orbis terrarum victor populus non nisi excultis do-  
ctrina viris ad rem defendendam, injurias propulsandas, fi-  
nesquè proferendos usus sit: ac profectò quantum Lynceus  
straboni, aquila talpæ, serpens vespertilioni præstat: tantò a-  
cutius quid opus factò sit videt unus aliquis eruditus impera-

tor, quam centum stolidi barbari. id quod preclarè intelligens,  
ut alia omnia, Musarum ille parens Homerus, & omnium  
Alexandri Magni expeditionum quasi comes & contuberna-  
lis perpetuus Agamemnonem suum optantem facit, dari sibi  
decem non Ajaces aut Achilles viribus corporis valentes, sed  
Vlysses ingenij & judicij copia instructos: ita enim futurum,  
ut urbs Troja brevi capiatur: qua etiam de causa non illos  
iracundos & audaces, sed hunc facundum atque cordatum Ilij  
eversorem appellat. videlicet non sunt omnia semper in armis  
atq; impetu posita: sed illa ipsa arma tum demum feliciter  
rractantur, quum adsunt ea, quæ magna ex parte literæ suppe-  
ditant, consilij vis, ordinis descriptio, prudentiæ calliditas, a-  
nimi præterea ita ratione temperata magnitudo, ut pericula  
neque abjecto animo detrectentur, neq; clausis, quod dicitur,  
oculis præcipiti temeritate ac præsenti cum pernicie susci-  
piantur. Quæ quum ita sint, agite studiosi adolescentes, in  
hanc curam atq; rationem omni cogitatione, opera & conten-  
tione incumbamus, ut Minervæ sacra colamus, hoc est, ea quæ  
doctissimi viri summo ingenio inventa, indefessa industria col-  
lecta, acerrimoq; judicio digesta & conscripta nobis relique-  
runt, quorum omnium scientiam ac disciplinam Philosophia  
& profitetur & tenet, intentis oculis suspiciamus, obvijs ma-  
nibus amplectamur, animo devoto veneremur: & optimis  
maximis linguis vocem, rebus mentem, virtutibus mores in-  
struamus: quò ex Minervio sive Athenæo isto philosophiæ  
progressi, & ad rem publicam delati animarum saluti, corporū  
incolumitati, ac fortunarum indemnitatì consulamus, ipsamq;  
republicam justè, sapienter, ac fortiter cum togati, tum etiā,  
si usus ferat, galeati atq; sagati ita geramus, ut re & facto o-  
stendamus, & literas armis consilio atq; ornamento, &arma li-  
teris præsidio esse ac fulcimento. Restat, ut eorum expectati-  
oni satisfaciamus, si qui fortè mirantur, quòd soluta potius  
quam numeris astricta oratione verba facere novo, ut videtur,  
more voluerimus. quibus ego breviter respondeo, hęc ipsa suis  
numeris ita apta inter se, & devincta videri debere, ut nī  
... ita

ita sit, recusaturi non simūs, quin ipsi nullo loco ac numero a-  
pud hujus rei intelligentes nostro merito habeamur. deinde  
quod bona illorum venia fiat, quæro ab ijs, utrum existiment,  
facilius esse bonos versus facere, an non pessimam orationem  
componere. de quo si statuere volent, jubebitis eos in utro-  
que genere sui periculū facere, ac specimen edere, deprehensu-  
ros nobiscū, proclivius esse dicere, quā facere. præterea quū  
& per meipsum scirem, & querela optatissimi collegij & harū  
rerum scientissimi pervulgatū eslet, plures esse hodie in Germania  
poëtas, quām in omni Armenia muscas: nolui in hanc  
partem peccare, & aliorum licentiam plus quām poëticam a-  
lere, quum tamen, nisi fallor, non multo deteriorem versifica-  
tore, quām Cluvienus aliquis, agere potuisse. accedit ultí-  
mo loco, quòd quum neq; antea eloquentię studium admodum  
vigerit, & nunc nescio qua inhumanitate etiam ad pauciores  
quotidie recidat, neq; desint tamen interea, qui latinè alias di-  
cere ausint docere, quum ipsi grammaticē loqui nondum didi-  
cerint: eam ob causam existimavi nihil me præter officium  
facturum, si in hunc ornatissimā confessum & dictionem, ut  
spero, latinam, & actionem, nisi fallor, non planè absurdam at-  
tulisse. quod si assecut⁹ sum, gaudebo: si minùs, hoc metamē  
consolabor, quòd quum optima voluerim, præstiterim quæ  
potui: ut illud judicij videatur fuisse, hoc ingenij.

Vobis autem, Auditores, quòd honoris collegij philosophici  
causa convenire huc voluistis, gratias, qua par est, reverentia,  
observantia, ac diligentia, maximas ago & habeo universis ac  
singulis: & vicissim omne genus officiorum atq; studiorum  
pro re nata prolixè polliceor ac præstabō.

Iamq; precor venerorq; Deum æternum patrem domini  
ac servatoris nostri Iesu Christi, ut pro perpetua illa sua ac  
maxima & misericordissima bonitate & clementia doctrinam  
verbi cœlestis, religionemquè cultus sui ab omni admixtione falsitatis & superstitionis, puram inter nos ac sinece-  
ram conservet: studia linguarum & artium, quibus  
ad societatem & commercia vitæ hujus non magis ca-  
dere, quām sole atquè aëre possimus, à barbariæ cœno,  
inertiae

inertiæ situ, ac sophistarum præstigijs prohibeat: Imperato-  
rem sacratissim. im, Proelectorem ac duces Saxonie celsissi-  
mos & prælustriſſimos, Principes ac dominos nostros beni-  
gnissimos ab hostilibus injurijs, & omni. incommodo animi  
corporisq; invictos atque indemnes conservet: denique do-  
centium ac dissentium operas actionesq; numine ac spiritu  
suo regat & gubernet ad nominis sui gloriam, Eccle-  
ſiæ incrementum, reipublicæ commoda, &  
omnium nostrum temporariam atq;  
æternam salutem & inco-  
lumentatem.



153456

ULB Halle  
002 677 407

3



VD 77

Communione.

— Sanctus Iohannes. — Intra. Hunc est donum

**O**mminicantes et noctem usque dicimus  
natiuum celebiantes. quia beatam  
ne in integrata virginitas. huic mundi  
saluatori. Sed et memoriā uenerantur  
nisi euibsem gloriosē semp vi. mis mar-  
trios. cuiusdam dei. et dñi nři ihu xpī. Sed et  
torū apostolorū tuorū. In capitulo 14 item

**O**mminicantes. et dicim sacramentū celebra-  
tes. quo virginis tuis in tua terū gloria.  
nisi in ueritate carnis nostre visibiliter caro alio  
apparuit. Sed et memoriā. In capitulo 14 item

**O**mminicantes et dicim sacramentū celebra-  
tes. quo dñs nob̄ ihu xpī pio uobis et  
Sed et memoriā. Eamus igit̄ oblatio mea.

**Farbkarte #13**



ORAT<sup>IO</sup>  
SOLEMNIBUS  
D. CATHARINÆ  
COLLEGII PHI-  
LOSOPHICI VVITE.  
BERGENSIS

*Habita*

A B

ADAMO THEODORO ADAMI  
F. SIBERO

Professore eloquentiæ

&

Pro tempore Decano,

Ad ante diem v*i.* Cal. Decembris.

ANNO M. D. IC.

WITEBERGÆ,

Apud Paulum Helwigium,  
Typis Mullerianis.